

MELISSA

EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA


Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - B-1040 BRUXELLIS. Tel. (02) 735 04 08. Telecop. (02) 735 51 32

Editor responsalis: Gaius LICOPPE - Compositrix: Francisca DERAEDT - guy.licoppe@pophost.eunet.be

Bureau de dépôt: 1040 Bruxelles 4 - Afgifte kantoor: 1040 Brussel 4

Melissa passim sciscit ...

- ... De regionibus Balcanicis, quae nunc sunt in ore omnium : percontemur de lingua ... ¶ p. 2
- ... et de condicionibus historicis ¶ p. 4
- ... De discipulis, qui viva institutione fruuntur ¶ p. 6
- ... De novis methodis, quae ad archaeologiam pertinent; sic fieri potest ut antiqua Alexandria melius noscatur ¶ p. 7
- ... De litterariis operibus in Latinum versis ¶ p. 9
- ... De phantasiis nocturnis, de lamiis, de sajanis ! ¶ p. 12
- ... De moribus antiquis ¶ p. 15
- ... Et de possibilitatibus Latine loquendi ! ¶ p. 16



Venetiis in opere musivo Basilicae Sancti Marci apparet Pharos, qualis erat in memoria illorum mercatorum qui Sancti Marci reliquias Alexandriae tertio decimo saeculo rapuerunt. Tertia turris pars tum iam corruerat, in cuius loco Arabes meschitam tholo auctam exstruxerant.

DE COSOVO

De praesenti bello Balcanico inter sessionem Latinam Bruxellis die 8 m. Maii habitam disputare propositum erat. Duo sodales de hoc argumento verba fecerunt diligenter scienterque praeparata, quae tantum placuerunt, ut ea lectoribus infra proponamus.

Albani hodierni regionem incolunt, quae tempore Caesaris pertinebat ad Illyriam, atque autumant se posteros esse antiquorum Illyriorum. Non est regio copiosa et vitae condiciones ibi non videntur ab antiquitate multum mutatae. Nam in Bello Alexandrino legimus haec: «... in Illyrico... quamquam erat provincia minime copiosa ad exercitum alendum...» (B.A. 42) et «Gabinius ut in Illyricum venit hiberno tempore anni ac difficili, sive

copiosiore provinciam existimans...» (B.A. 43).

Iti, qui ante nonnullos menses bellum in Serbos inferre statuerunt, videntur difficultates non recte pendisse quae necessario timendae erant propter arduam locorum naturam necnon Serborum animi acerbitatem. Praeterea quibus favere oportebat in contentione de Cosovo? In tractu Cosoviensi, quem Serbi propter causas historicas abalienare nolunt, Albani mahometani, qui ibi iam vivebant, intra unum saeculum frequentiores facti sunt quam ipsi Serbi atque inde sui iuris fieri volunt. Utri causae est assentiendum? In mente habeamus oportet vicinum maiore progeniei incremento superare etiam esse formam belli, etsi satis lentam et insidiosam.

DE LINGUA ALBANICA

SCRIPSIT VOLFGANGUS JENNIGES

Ex initio saeculi praeteriti linguae inter se comparari communesque stirpes constitui coeptae sunt. Tum familiae linguarum praesertim Semiticarum et Indogermanicarum, sive Indo-Europaearum, melius meliusque in dies cognoscebantur.

Si quis autem linguas comparare velit, praesertim linguarum *structuras*, quas vocant *medias* conferre debet: in primis vocabulorum, i.e. radicum, thematum, terminationum, paradigmatum, neque eorum significatum neglegere, legesque constituere, quae nisi ad omnia, vel ad maximam partem explicandam valent, nihil valent, neque ad hoc tantum vel illud probandum constitui possunt.

Non autem proficit fabricam linguarum profundiore sive generalem neque res quae ad superficiem tantum haerent conferre, veluti sententiarum structuras sive mera elementa phonetica: non enim propriae sunt et in omnibus linguis aut exstant, aut saltem exstare, facillimeque mutuari possunt. Est enim modus et in ore hominum, quo instrumento elementa phonetica proferuntur, et in mente, qua enuntiata concipiuntur. Variatio infinita non exstat.

Quod exemplo ex linguis Semiticis probatur. Etenim in linguis Semiticis ordo sententiarum communis est hic: verbum (temporale) - obiectum - subiectum. Constat autem in lingua Accadica, quae est Semitica orientalis, quamque Assyrii et Babylonii in Mesopotamia adhibebantur duobus

ultimis mille annorum spatiis a.C.n., ordinem esse contrarium: subiectum - obiectum - verbum (temporale), eundemque cum esse atque in lingua Sumerica, quae non est Semitica sed omnino hac in regione sui generis, quacumque Babylonii arctam coluere necessitudinem. Quem igitur ordinem ex lingua Sumerica desumptum esse veri non est dissimile, fortasse propter modum scribendi cuneatum similiter mutuatum. Sed considerati viri non esset aliam quoad linguam inter Sumericam et Accadicam linguam necessitudinem quaerere, neque necessitudinem Accadicae cum aliis ex orbe Semitico linguis impugnare. Aliud ex Graeco Latinoque sumatur exemplum, quod iam apud Festum legitur: videntur enim vocabula *deus* et θεός inter se esse valde similia. At fallit similitudo phonetica, dum consideretur vocabulum *deus* ex **deivos* fluxisse, in Graeco autem θεός primaevum σ inter vocales cecidisse (quod tamen σ e.g. in adiectivo θεός-φάτος ante consonantem sonum adhuc apparet).

Ubi vero constat linguas re vera esse quasdam eiusdem familiae - propter patrimonium earum commune quod secundum Carolum Brugmann ad sonos simul et in casus declinationes et syntaxin vocabulorum et significatum spectat - "subfamiliae" quas vocamus, i.e. inferiores familiae vel stirpes constitui possunt quarum innovationes communes agnoscere valent. Sic viri docti, quod ad linguas quas Indogermanicas vocant, loquuntur de stirpe linguarum Slavicarum, Germanicarum, Romanicarum, aliarum.




His propositis dicendum erit tantum probari posse inter quasdam linguas necessitudinem esse, numquam non esse.

Quod ad linguam Albanicam: inter linguarum peritos iam pridem constat, inde a Francisco Bopp, qui saeculo ineunte praeterito fundamenta horum studiorum posuit, eam esse Indogermanicae stirpis. Tamen huic linguae studentii variae difficultates obiciuntur:

Summum discrimen in eo est quod primi fontes huius linguae saeculo tantum XV p.C.n. adscribi possunt. Anti-quissimus textus est a. 1462 exaratus et duodecim fere vocabula continet. Albanorum lingua in duas divisa est dialectos: septentrionalem, cuius nomen *geg*, i.e. Gegica; et meridianam, quae vocatur *tosk*, i.e. Tosca. Illa paulatim in linguam officialem erat adducta, hanc praesertim poetae adhibebant, heroum res gestas cantantes, postea latiore est usum adepti. Inter ambas dialectos finis terminusque constituuntur a flumine *Shkumbin*. Praeterquam in Albania ipsa, lingua Albanica (eaeque dialectus Tosca) adhibetur ab incolis Albanis in Graecia et in Italia meridiana et in Sicilia (post migrationes tempore medii aevi, et postea, illuc factas) et in Macedonia, Nigromontio, Serborumque provincia quae vocatur *Kosovo*, quaeque nunc est in omnium mente.

Lingua vetus iam in primis fontibus valde mutata est. Nondum exstat rei grammaticae studium completum neque studia dialectica sunt satis progressa. Insuper lingua est exigua. Vocabula genuina sunt numero tantum 400. Cetera circiter 5000 sunt ex Latino, ex linguis Balcanoromanicis, quas vocamus, velut Daco-Romanica, ex Graeco (etiam antiquo), ex Slavicis linguis, ex Turcico, decursu saeculorum mutuata. Propterea lingua Albanica nobis et legentibus et audientibus videtur satis absona. Aliud est quod vocabula maritima, i.e. quae ad mare spectant, et naves et piscatum, non sunt magnam partem genuina, sed ex Graeco et Latino aliisque linguis desumpta. Sic e.g. *peshk* est *piscis*, *natoj* verbum *natandi* significat, duo vocabula quibus *navis* designatur, prius *gjemj* ex Turcico *gemj*; alterum *varkë* ex Graeco *βάρκα* (auditur *varka*) media aetate mutuatum est, quod tamen ipsum ex Latino *barca* fluxerat. Hac de causa putantur Albani primum in montibus habitavisse, posteaque tantum ad litus descendisse, ubi propter Romanorum Graecorumque in litoribus diuturnam moram talia vocabula receperunt.

Scribitur autem lingua Albanica ex anno 1909 litteris Latinis, antea Graecis, Ottomanicis (i.e. Arabicis), Cyrillicis, etiam Latinis, prout condicio scriptoris postulabat.



De origine vero Albanorum nihil certi notum est, neque quicquam constat de migratione in Albaniam quae nunc est, propter quod Albani veri similiter autochthones sunt habendi. Prima eorum mentio fit a scriptoribus Byzantiis apud quos inde a saeculo X vocantur *Ἀλβανοί*. Ipsi autem linguam suam *shqip* et se ipsos *shqiptār* nuncupant. De eorum maioribus, temporibus antiquis, nihil scitur, quamvis nonnulla vocabula ex Graeco antiquo desumpta (ut supra dictum est), veluti *bletë*, quod ex *μέλιττα* «apis» (postea *μέλισσα*) fluxit, antiquae necessitudinis sive propinquitatis sint testimonium.

Iam philosophus Germanus Leibniti (s. XVII) putabat linguam Albanicam ex veterum Illyriorum lingua prodiisse. Nonnulli sunt linguarum investigatores, velut Paulus Kretschmer et Norbertus Jokl item Germani, qui inde a saeculo praeterito eandem habuerint opinionem.

Quid de hac origine Illyrica putandum est?

Argumenta historiam potius vel geographiam respiciunt quam linguam. Est enim regio ubi nunc Albani habitant, linguaque Albanica adhibetur vetus regio Illyriorum. Sed id quod de Illyriis scitur non sufficit ad comprobandum vel improbandum linguam Albanicam esse Illyricam.

Primum dicendum est «Illyricum» fuisse omnium primam partem terrae continentis in paeninsula Balcanica, quam nunc vocamus, quae in Romanorum dicionem est redacta, inde ab anno 167 a.C.n. Quae regio a Romanis «Illyricum» vocabatur, posteaque novae regiones, victoriis captae, huic regno, quod fuerat, «Illyrico» sunt additae. Sed ipse terminus «Illyricum» vel «Illyrii» non spectabat ad linguam neque ad populum, sed in primis geographiam respiciebat et divisionem et Imperii administrationem.

Vitium nunc in eo est, quod multi investigatores putabant quodque vocabulum, quodque nomen proprium, quod in illa vasta regione reperiebatur, esse «Illyricum», i.e. Illyricae linguae esse

adiudicandum. Quod a viro docto Henrico Kronasser (post Victorem Pisani Italum) Graeca voce «panillyrisimi» notabatur.

Quamvis vix reperiantur vetera testimonia Illyricam linguam re vera exstitisse, generatim tamen putatur lingua quaedam "Illyrica" fuisse, sed fontes sunt exigui: sunt tantum nomina locorum et hominum in hac regione reperta; accedunt nonnullae (sed paucissimae) glossae, i.e. vocabula soluta in veterum scriptorum operibus lexicisve dispersa (ut semel apud Hesychium), sed nullum exemplum ullius in casus declinationis sive verborum coniugationis notum est. Mentio fiat tandem de circiter trecentis titulis Messapicis, a

saeculo V usque ad I quod Christum natum proxime antecedit conscriptis, in Italiae parte Apulia, quae ad meridiem spectat, ab aevo Renatarum Litterarum repertis, ubi nomina similia leguntur: sed praeter hoc vix quicquam intellegitur. Cum autem hac etiam in regione veteres Illyrii sederint, nonnulli putant, Iohannem Krahe praesertim secuti, linguam hanc Messapiorum fuisse dialectum Illyricam.

Sed exspectandum erit, dum novis fontibus et certis magnam illud et invium inter antiquissima tempora primaque linguae Albanorum testimonia compleatur intervallum. ☛

DE BELLO BALCANICO

SCRIPSIT ROBERTUS DEPREZ

In circulo nostro Latino et in commentariis *Melissa* iam pluries tractatum est thema nationalismi in Europa. Exemplum Iugoslaviae optimum est ut damna nationalismorum illustrentur: ibi ante nonnullos annos erat civitas fortis, quae primas partes agebat in motu «civitatum non allinearum», quam omnes nationes Europaeae respiciebant. Nunc nihil est nisi locus in quinque nationes divisus (mox fortasse plures!), pauperiores propter bella intestina factas. Ubi est emolumentum?

Quomodo nata sunt problemata in Balcania?

Quarto saeculo imperium Romanum in duas partes divisum est. Linea separationis adhuc fere eadem est atque finis hodiernus inter partes occidentales (praecipue Croatiam) et partes orientales (praecipue Serbiam) regionis quae fuit usque ad annum 1991 Iugoslavia. A sexto enim saeculo Slavi paulatim regionem illam invaserunt; ei qui ad occidentem lineae consederunt, ecclesiae Romanae fideles facti sunt, alphabeto Latino usi sunt: Croatae sunt. Ad orientem autem, pondus Constantinopolis paulatim praevaluit; alphabetum Cyrillicum nono saeculo introductum est; ibi sunt Serbi. Tota autem regio diu fuit inter influxum Romae et Constantinopolis: cfr exempla iconum Macedonicarum quarum inscriptiones usque ad octavum saeculum Latinae sunt. Sed ita explicatur cur duae sint «nationes» (Croatarum et Serborum) quae eadem lingua utantur.

Postea venerunt Turci (XIV saeculo; cfr proelium Cosoviense a. 1389). Multi homines se ad islamismum converterunt, praecipue duo po-

puli: Albani et Slavi qui in Bosnia et Herzegovia vivebant. Tunc regio Balcanica divisa est inter catholicos, orthodoxos et muslimos. Usque ad initium vicesimi saeculi, bella fuerunt inter duas maximas dicesiones: imperium Austrohungaricum et imperium Turcicum. In utroque factae sunt migrationes populorum quae duxerunt ad condicionem intricatissimam hodiernam: exempli gratia Hungari et Germani in Croatiam et Transylvaniam, Albani in Serbiam et Macedoniam, Slavi in Graeciam, etc. (inde sunt hodie permultae «minoritates» in omnibus civitatibus Balcanicis).

Ab undevicesimo saeculo potestas Turcorum multum decrevit. Nati sunt principatus autonomi, postea civitates sui iuris facti: Moldavia et Valachia (unde Dacoromania), Serbia, Nigromontium, Bulgaria, Graecia.

1918: creatio regni Serborum Croatarum Slovenorumque, quod ab anno 1929 Iugoslavia appellatur. Multae sunt contentiones inter nationalitates, praesertim inter Croatas et Serbos. Tempore secundi belli mundani, Croatae, auxilio Germanorum, rem publicam propriam creant. Post bellum Titus rem publicam foederativam instaurat: vult aequilibrium inter nationalitates servare. Hac de causa anno 1969 creat nationalitatem islamicam, tertiam nationalitatem in Bosnia et Herzegovia.

1980: Titus moritur, contentiones crescunt.

1991: Slovenia et Croatia independentiam proclamant. In Croatia sunt minoritates Serbianae. Secessio Macedoniae.

1992: Bosnia et Herzegovia sui iuris proclamantur, quod Serbi recusant. Bellum trium



annorum. Purgatio ethnica.

1995: foedus Dayton. Tumultus nascuntur in Cosovo, provincia Serbiae ubi maioritas incolarum sunt Albani.

Officialiter bellum hodiernum ortum est quia Serbia recusabat pactum in castello Ramboletano factum, id est, nolebat autonomiam iterum Cosovo concedere et ibi accipere milites aliarum nationum vigilandi causa mittendos. Americani et ceterae nationes confoederationis Atlanticae dicunt se bellum gerere ut praesidem Milosevic puniant (vel potius coerceant ad pactum approbandum) et Albanos Cosovienses protegant. Difficile est hoc credere, nam bombardamenta neminem protegant, sed multos homines innocentes occidunt! Sententia mea verae causae belli hae sunt:

1) necessarium est statum belli alicubi in orbe terrarum habere, ut pecunia quae in exercitum et in arma erogatur iustificetur; Saddamus Husaenus iam multum «usurpatus» est et hac de causa novus hostis inveniendus erat (in novissima crisi cum Iraquia, multae nationes Europaeae actiones aeras Americanorum non iam probaverunt!);

2) Americani¹ volunt in tota Europa dominari, et in hunc scopum assequendum emolumentum belli duplex est:

- novae divisiones fient, Iugoslavia quae restat destruetur; iam a tempore primi belli mundani America (et quodammodo Britannia et Francogallia, quibus nunc addenda est Germania) volunt creare in Europa centrali civitates minimas et impotentes, quae eis melius politice et praecipue oeconomice conveniunt nam ab eis magis «dependentes» sunt.

- influxus Russiae multum minuitur; omnia sine illa facta sunt (sed hoc fortasse mutabitur!). Bellum quasi «casu» (!) factum est dum problemata interna permulta in Russia sunt, et ante comitia praesidentialia Russica.

De hac re legamus Nuntios Latinos a Radiophonia Finnica die 9 m. Apr. a. 1999 divulgatos: «*Madeleine Albright, ministra a rebus exteris Americanorum, praemonuit operationem militarem Cosoviensem de conflictibus praemonere, quibus NATO proximo saeculo implicari posset. Albright verba fecit Vasintoniae, quo delegati undeviginti nationum convenerant, ut de futuris actionibus confoederationis Atlanticae consulerent. Confoederationem in Balcania id agere, ut tumultibus finitis illa regio ad evolutionem ceterae Europae adiungeretur. Ictus contra Serbiam factos Albright defendit, cum affirmaret aequum iustumque esse strages, purgationes ethnicae et crimina coercere, quae contra humanitatem fierent.*»

Hoc potest considerari ut continuatio politicae nationum occidentalium medii aevi; Franci semper laboraverunt ut imperium Byzantinum

debilitaretur, et ipsi, non Turci, fuerunt veri interemptores imperii; cfr quartum bellum crucigerorum. Turci reliquias collegerunt!

Conferte etiam differentiam perceptionis quae paulatim medio aevo facta est: cum Einhardus loquitur de «Romanis», significat homines sub ditione Constantinopolis viventes; Galli non iam sunt Romani, sed Franci sunt. Econtra, Arabes vocant *rūm* (sg. *rūmij*, quod est *Romanus*) omnes incolas Europae Christianae, sive occidentalis sive orientalis. Postea Byzantini ipsi non iam Romani dicuntur; Romani ad tempus praeteritum pertinent. Adhuc serius venit illud: «atavi nostri Galli (*nos ancêtres les Gaulois*)»: Romani in historia nostra tantummodo transierunt!

Ita opus divisionis Europae continuatur; natio quae olim una fuit (Graecoromana) divisa est in multas nationes artificiose factas, quarum cives sensu differentiae a moderatoribus imbuuntur. Eliminatio linguarum traditionalium Europae (Graecae et Latinae) alia pars est illius operis «barbarizationis» (pars culturalis), exaltatio nationalismorum pars politica est. Non pauci homines intellectuales adversati sunt bello huic, non solum propter pacifismum proprie dictum, sed etiam quia geritur contra nationem Europaeam et amicam; illi habentur ut «proditores» et «insani».

Ut Latinitatis vivae cultores, quid facere possumus?

1) Individualiter «stupidificationi» resistere et colere linguas classicas quae remedia sunt contra mentem angustam nationalismi.

2) Promovendus est novus humanismus latior. Scissio quae est inter Europam occidentalem («Latinam», etsi Latinitatis oblita est...) et Europam orientalem, Balcanicam (cultu Byzantino altam) periculosa est; fossa latior facta est occupatione Turcorum et recentius regimine communistico. Remedium non est «annexio» regionum illarum cultui occidentali hodierno. Debemus colere duplicem identitatem nostram, Graecam et Latinam. Ita mentes Europaeorum melius congruent. Praeterea in terris Balcanicis sunt communitates religiosas et culturales totius orbis mediterranei et Europae: pacem ibi condere idem est atque pacem totius Europae, Africae (septentrionalis) et Medii Orientis firmare. Cfr exempla cooperationis frugiferae inter varios cultus: Hispania mediaevalis, schola medica Salernitana, Medium Oriens recentius.

3) Latinitatis vivae cultores multos contactus habent cum hominibus omnium nationum, quibuscum commercium Latine habent (nunc etiam per interrete). Talis «societas» quae fines nationum transcendit usurpari posset ad pacem non officialiter sed efficaciter provehendam. Cfr processus pacis inter Israelianos et Palaestinos,

qui (ut audivi) exiit ex incepto privato paucorum hominum doctorum Scandinavorum, quorum alius noverat ministrum Israelianum, alius legatum Arabem, etc. Fortasse societas quaedam humanistica pro pace servanda creanda esset? 🐾

ADNOTATIO

¹ Ea, quae hic contra Americam dicuntur, ad regimen pertinent, certe non ad ipsum populum. Hoc erat adnotandum.

DE MAKITA

REFERT SOPHIA VAN DER STEGEN

Iohannes van Kasteel, qui et strenuus linguae Latinae est magister et Melissa sodalis, hoc anno cum discipulis suis legit librum a Fundatione Melissa editum c.t. Makita (I. CAPART, Makita sive de historia cuiusdam muris tempore Pharaonum, in Latinum vertit F. Deraedt). Idem ad nos nuper scripsit haec: «Ante unam septimanam ultimas paginas Makitae in classe legimus. Discipuli sponte sua lectiones nostras concluderunt iterum disputando (Latine ut semper!) de veracitate illius historiae et modis eius probandae. Ad finem horae ab eis quaesivi ut scriberent unusquisque suas opiniones, aestimationes, conclusiones de toto libro. Etiam promisi ut optima censura in Melissa publicaretur.

Liber Makita est mirus et unicus. Non possibile est eum legere sine attentione. Ecce narratio libri: Brocartius est Aegyptologus scientissimus. Amicus eius, Caplynus, cui imaginatio non deest, invenit librum de magia in bibliotheca Brocartii. Legit hunc librum et curiosus probat experientiam ut sciat num liber verus sit. Experientia quam Caplynus temptat est invocatio dei Anubidis. Post multas praeparationes, facit experientiam et... loquitur cum Anubide! Narrat id Brocartio qui non credit. Tunc Caplynus petit ab Anubide probationem irrefutabilem ut Brocartius credat experientiam

Ceterum non dubito quin illae censurae magna parte immo omnes futurae sint optimae!» Atque paulo post: «Sicut vobis promisi, ecce summarium necnon commentarius Makitae scriptus ab una inter discipulas meas c.n. Sophia van der Stegen, soror illius Iohannis cuius Historia Hebraeorum iam ante duos annos in Melissa publicata est. Meo sensu, est optimus commentariorum quos quaesivi ab unoquoque e discipulis ut scriberent. Sed re vera, dilectus meus non fuit facile factus!» Et ecce discipuli, qui propter vivam institutionem valent textus facile legere. Suntne multi linguae Latinae magistri, qui de tali successu possint gloriari?

esse veram. Anubis revelat ei historiam Makitae.

Initio, Makita est parva mus pauper, sed aliquando secretum dedit ad sacerdotem Cheopis ut papyros templi servaret a dentibus murium. Contra, Makita petit ut initiaretur in mysteria deae Bastis. Sacerdos Bastis consentit et Makita fit Makita-Bastis.


Post multa saecula, nepotes Makitae vivunt apud urbem malorum cattorum qui edunt miseram murem. Avia eius it ad templum Bastis ut dea puniat malos cattos. Dea promittit Makitae urbem malorum cattorum futuram esse eius et malos cattos servos eius. Tunc Makita et canes, amici eius, petunt urbem et mali catti victi sunt. Makita fit regina urbis.

Postea puer intrat in urbem et, Makita petente, scripsit historiam Makitae.

Anubide profecto, Caplynus et Brocartius eunt in Aegyptum et inveniunt sepulcrum pueri. Tunc Brocartius habet probationem historiam Makitae non inventam esse a Caplyno.

Historia huius muris Makitae capit animos, est mira et iocosa. Ego praetuli narrationem experientiae Caplyni. Non scio num vera sit. Sed dat mysterium ad narrationem; et utile est quia sine mysterio narratio est ridicula et puerilis.

Illustrationes sunt mirabiles et magni momenti, quia induunt in mentem dubitationem: nonne historia Makitae vera est? 🐾



DE GLORIA ALEXANDREAE (II)

SCRIPSIT GAIUS LICOPPE


Mense Ianuario a. 331 a.C.n. Alexander Magnus Memphim modo captam relinquit litus maris Mediterranei petiturus. Consistit in loco inter oram maris et Mareotidem paludem sito atque urbem ibi condere statuit. Cur ibi? de hac quaestione multum disputatum est inter historicos, sine certo exitu. Nonnullae tamen causae videntur manifestae.

Imprimis Alexander, Graeco cultu imbutus, mercedum hominumque commeatui favere vult, ut facere solent veri Graeci. Ubi cumque maris Mediterranei, quod Plato iocose vocat «ranarum stagnum», Graeci colonias in selecta litoris loca deduxerunt, quibus opes diversarum regionum possent excerpere et navibus quocumque exportare. Aegyptus autem, etiam tempore Alexandri, manebat regio solitudinibus et mari a ceteris nimis seclusa. Aegyptii in sua Nili valle vivere pergebant inter solitudines et mare a ceteris regionibus seclusi. Alexander manifesto voluit magnam portam instruere, qua orbis Aegyptius in totum orbem Mediterraneum pateret. Cui proposito locus electus optime convenire videbatur. Praeterea non longe ab ora maris erat parva insula nomine Pharos. Graecorum mos in coloniis collocandis erat locum exquirere, iuxta quem esset parva insula, in quam se recipere possent si quis hostilis tumultus in continenti oreretur. Praeterea locus electus, cum paulo distaret a Nili delta, non patiebatur incommoda annui fluminis incrementi. Insuper solum ibi erat petrosum et firmissimum.

Antiqui novam urbem manifesto habebant portam Aegypti, qui eam vocarent «Alexandream ad Aegyptum», non *in* Aegypto.

Conabimur una cum historicis et archaeologis vestigia urbis Alexandri Magni in hodierna Alexandria detegere.

Antiqua urbs longissimis moenibus erat circumdata. Sola Athenarum moenia, propter inclusum Piraeum, et Syracusarum moenia, propter inclusos agros, maiorem habebant longitudinem. Moenia Ptolemaica, tempore Romanorum extensa, nono saeculo ab Arabibus, regente Ibn Touloun, renovata sunt. Situs moenium, quae fere tota hodie sunt deleta, non facile detegitur. Hellenisticorum enim moenium solum superest minima pars in hortis de Shalalat



dictis servata. Nihil certi scimus de turribus neque de portis.

Melius nota sunt viarum lineamenta propter effossiones archaeologicas quas undevicesimo saeculo permultis in locis fecit Mahmoud el Falaki (i.e. astronomus; re vera erat ingeniarius in Francogallia edoctus). Duae maximae viae - latitudine plus quam triginta metrorum - magnificum aspectum urbi praebebant. Una, ex oriente in occidentem ducta, vocabatur Canopea. Margines totius viae porticibus ornatae erant. Ad orientem via claudebatur porta Canopea. Quae porta tempore imperii Romani longius ad orientem transposita est propter urbis dilatationem; ab eo tempore vocata est porta Solis. Eodem tempore porta occidentalis, etiam ultra transposita, nominata est porta Lunae. Altera maxima via erat urbis cardo, quo Mareotidi paludi coniungebatur promuntorium Lochias, ubi domus regiae aedificatae erant.

Vix quicquam scimus de domibus, quales tempore Ptolemaeorum fuerunt. Videntur tamen stabiliter et laute exstructae esse. In libro c.t. Bellum Alexandrinum, ubi narrantur res gestae Caesaris cum in ipsa Alexandria ab Aegyptiis obsideretur, legimus haec: «Ab incendio fere tuta est Alexandria, quod sine contignatione ac materia sunt aedificia et structuris ac fornicibus continentur tectaque sunt rudere aut pavimentis.»

(B.A. 1,3).


Magna urbs eget magna aquae copia. Constat in Aegypto omnem aquam Nilo suppeditari. Alexandria non est exceptio. Eius conditores fossam viginti chiliometra longam in urbem duxerunt de brachio Canopeo Nili. Quomodo aqua distributa sit, his verbis bene describitur in Bello Alexandrino: «Alexandria est fere tota suffossa specusque habet ad Nilum pertinentes quibus aqua in privatas domos inducitur, quae paulatim spatio temporis liquescit ac subsidit... Nam quae flumine Nilo fertur, adeo est limosa ac turbida ut multos variosque morbos efficiat... Fons urbe tota nullus est.» (B.A. 5,1-2) Semel enim singulis annis, i.e. tempore Nili incrementi, aqua in urbem influebat. Archaeologi plus quam septingentas cisternas iam reppererunt inter se specibus coniunctas.

Pleraque maioris momenti aedificia Alexandrina erant circum Portum Magnum. Sed ipsum litus ibi valde mutatum est ab illo tempore, quo Strabo Alexandriae moratus est (25-24 a.C.n.) urbemque satis accurate descripsit. Nam propter litoris depressionem fluctusque assiduum impetum, promuntorium Lochias valde minutum est atque transformatum; insula Antirrhodos et multa aedificia litoralia submersa sunt. Investigationes subaquaneae, quae, Francisco Goddio ducente, ante nonnullos annos susceptae sunt, revelant in angulo Portus Magni iuxta promuntorium Lochias

sito partes submersas litoris antiqui, ubi iacent permulta vestigia: statuae, columnae, moles, structurae, pavimenta et cetera... Hoc non est mirum, si recordamur partes submersas ad hunc urbis tractum pertinuisse, qui vocabatur Latine «Regia» et Graece τὰ Βασιλεία. Certe his investigationibus mente melius comprehendemus quomodo disposita fuerit haec praestantissima urbis pars, sed infeliciter iam numquam contemplari poterimus prospectum magnificentum amoenissimumque quo fruebantur antiqui navigatores Portum Magnum intrantes. Nihil superest de splendidis aedificiis praeter eorum nomina et memoriam nonnullarum rerum in singulis gestarum.

Unum tamen vestigium supererat usque ad undevicesimum saeculum, quod vocabatur «Acus Cleopatrae». Erant re vera duo obelisci de relicto sanctuario Heliopolitano ablati atque anno 13 a.C.n. pro Caesareo (quod etiam Σεβαστεῖον vocabatur) erecti. Hoc templum ab Augusto imperatore perfectum cultui imperiali consecratum erat. Quamquam tota structura, ereptis lapidibus, iam diu disparuerat, eius situs propter Acus Cleopatrae bene notus est. Superiore saeculo ambo obelisci translati sunt, unus Londinium, alter Neoboracum in Viridarium Centrale.

In occidentali Portus Magni latere magnae mutationes etiam factae sunt, non propter soli



depressionem, se e contrario propter limi accretionem. Ad occidentem Portus Magnus a Portu Eunosto separabatur ingenti aggere 1.400 metra longum, qui hac ipsa causa nominabatur Heptastadion. De quo apud Caesarem legimus haec: «... sed [insula Pharos] a superioribus regibus in longitudinem passuum DCCCC in mare iactis molibus angusto itinere et ponte cum oppido (i.e. Alexandria) coniungitur.» (B.C. III, 112). Quo aggere Alexandria insulae Pharo coniungebatur. Exiguus erat, sed propter alluviones decursu saeculorum mutatus est in latum isthmum. Nostris temporibus Pharos iam non est insula, sed paeninsula facta est. Eadem de causa haec minima insula in qua turris ignifera olim aedificata est nunc insulae Pharo est continua.

«Pharos est in insula turris magna altitudine, mirificis operibus exstructa; quae nomen ab insula cepit» (Caes. B.C. III, 112). His verbis Caesar mentionem facit de hac celeberrima turri, quam antiqui habebant septimum miraculum mundi.

Pharos, initio Lagidarum regni exstructa, inaugurata est a secundo huius stirpis rege Ptolemaeo Philadelpho, circa annum 283. Tam artificiosa, tam firma erat eius structura, ut per septemdecim saecula manserit erecta, quamquam

terribiles terrae motus, vehementes procellas et inopinata fluctus incrementa passa est. Inter annos 320 et 1.303 p.C.n. viginti duo terrae motus tantae fuerunt vehementiae, ut scriptores mentionem de eis facerent. Exeunte octavo saeculo summa turris pars eademque tertia corruit, ita ut nono saeculo Arabes, Ibn Touloun regente, in secundo tabulato vacuefacto meschitam exstruere possent. Arabes enim Pharum multum admirabantur eamque diligenter curaverunt. Tertio decimo saeculo Venetiani mercatores Sancti Marci reliquias Alexandriae rapiunt atque in patriam secum transferunt; hac de causa in musivis operibus, quibus Venetiis mirifice ornatur Basilica Sancti Marci, invenitur imago Phari (cfr imaginem p. 1). Die 8 m. Augusti a. 1303 propter vehementem terrae motum Pharos omnino corruit.

Subaquanei exploratores adhuc 2.110 moles Syenitas circa Phari situm in fundo maris reppererunt, inter quas sunt quae 70 tonnas pendunt. Etiam sunt ingentes Ptolemaeorum regum reginarumque statuae veste ornamentisque Aegyptiacis indutae; quae videntur ad Phari basim appositae esse ut advenas Portum Magnum intrantes admiratione complerentur. ☛

(continuabitur)

FRAGRANTIA (II)


PROPOSITA A NICOLAO GROSS¹

(...)

Scilicet ridiculum fuisse eum ipsum sibi proponere tantam rem. Nihil fuit, prorsus nulla res fuit, qua licebat subadiuvam coriarii dubio loco natum, sine tutela atque coniunctione, sine ulla condicione dignitatis, sperare se consistere posse in Parisino aromatopolio omnium clarissimo; eo minus, quod Baldinius iam constituerat, ut a taberna desisteret. At proposito Grenulii immodesto nequaquam subfuit aliqua spes, sed certa scientia. Hanc tabernam, hoc scivit, a se semel tantum relictum iri, ut vestimenta sua apud Grimalium auferret, postea non. Quasi vero Grenulius ricinus sanguinem odoratus esset. Per annos tranquillus fuerat, quasi capsulae inclusus exspectaverat. Nunc se demisit, quanticumque, sine ulla spe. Hac autem de causa rem tam certe scivit. Taberna transita Baldinius aperuit cellam posticam versus

flumen sitam, quae partim cubiculum, partim officina atque laboratorium fuit, ubi saponem concoquebantur et unguenta pomata agitabantur et aquae odoriferae lagoenis ventriosis commiscebantur. «Ibi!» inquit et digito monstravit mensam magnam ante fenestram positam, «Ibi depone eas!»

Umbra Baldinii relicta Grenulius coria in mensa deposuit, celeriter resiluit, inter Baldinium et ianuam se constitit. Baldinius autem paulisper restitit in loco. Candelam paulum seorsum tenuit, ne cera destillaret in mensam, et digito posteriore strinxit super corium laeve. Tum corio inverso superstrinxit partem interioriorem, examito similem, simul asperam atque mollem. Perbonum esse hoc corium. Aptissimum ad cutem Hispanicam fabricandam. Siccando vix distractum iri, pede plicatili si recte stringeretur, remollitum iri,



Baldinius statim sensit, corio inter pollicem et digitum indicem presso; quo fragrantiam recipi posse ad annos quinque vel decem; hoc esse corium valde, valde bonum - fortasse se ex eodem fabricaturum esse digitalia, tria paria sibi ipsi triaque uxori suae, ad iter Messanam faciendum.

Manum retraxit. Animus mensam fabrilem aspicientis leniter commotus est: en omnia parata esse; alveum vitreum ad submersionem fragrantem, laminam vitream ad siccandum, patinas frictorias ad tincturam commiscendam, pistillum et spathulam, penicillum et pedem plicatilem et forcicem. Omnia sibi videbantur dormire tantum, quia tenebrae essent, sequenti die denuo surrectura. Num mensam secum auferret Messanam? Et partem instrumentorum, graviora tantum...? Ad hanc mensam se posse perbene sedere et operari. Quam constare e tabulis querneis, item eius statumina, et seris transversis compactam esse, ne pars eius mensae tremere neve vacillaret, eandem affligi nullo acido, nullo oleo nullaque cultri sectione - eandemque Messanam transportari non posse nisi condicionibus Attalicis! Etiam nave si transportaretur! Itaque eandem venditum iri, mensam, postridie venditum iri, omniaque quae essent in ea, sub ea, iuxta eam! Nam sibi, Baldinio, esse quidem animum mollem, sed etiam firmum et constantem itaque se, quamvis ferret aegerrime, proposita sua exsecuturum esse; se non abalienare omnia nisi oculis umidis, tamen se hoc facturum esse, nam scire hoc rectum esse, quia omen accepisset.

Se vertit, ut abiret. Tum ad ianuam stetit ille homullus deformis, quem paene oblitus erat. «Bene est», Baldinius inquit, «nuntia magistro corium placere. His diebus vos adibo, ut solvam pro corio.»

«Nuntiabo», Grenulius dixit in loco resistens, ut Baldinio officinam relicturo exitum praecluderet. Baldinius paululum stupefactus, sed rei prorsus nescius putavit puerum non esse protervum, sed verecundum.

«Quid est?» interrogavit. «Restatne aliquid nuntiandum? Quid? Eloquere!»

Grenulius capite demisso stans Baldinium illo oculorum obtutu aspexit, qui videbatur ortus esse anxietate, sed revera effectus erat attentione animi insidiosa.

«Volo apud te operari, magister Baldini. Apud te, in tua taberna volo operari.»

Hoc non dixerat more rogantis, sed postulantis, neque sensu proprio dixerat, sed sibilando expresserat tamquam serpens. Iterum Baldinius Grenulii immanem conscientiam sui falso intellexit esse imperitiam puerilem. Itaque ei comiter arrisit. «Tu» inquit «es tiro coriarii, mi fili. Non habeo, ubi adhibeam tironem coriarii. Habeo socium, tironem non egeo.»

«Vin' haec coria caprina imbuere fragrantia, magister Baldini? Haec coria, quae tibi apportavi, nonne haec vis inodorare?» Grenulius sibilavit, quasi responsum Baldinii non accepisset.

«Verum» Baldinius dixit.

«Amore et Psyche Pelissieri?» Grenulius interrogavit capite etiam demissiore. Nunc Baldinius leni terrore percussus est. Non, quia intra se quaesivit, unde iste homo rem tam bene sciret, sed quia nomen appellasset istius myri exosi, cuius aenigma solvere sibi hoc die non successerat.

«Quomodo tibi in mentem incidit cogitatio absurda, qua sentis me uti myro alieno, ut...»

«En oles hoc myron!» Grenulius sibilavit. «Quod est in fronte tua, quo tinctus est pannus sacculo vestis tuae dextro impositus. Quod non bonum est, malum est, ei inest nimium bergamottae et roris marini, parum olei rosarum.»

«Aha!» Baldinius dixit, qui prorsus consternatus erat colloquio ad res subtiles verso, «quid praeterea?»

«Flores arancii, limonella, flores caryophylli, muscus, gelesemium, spiritus vini et aliquid, cuius nomen ignoro, hic, vide, hoc loco! In hac lagoena!» inquit digito in tenebras erecto. Baldinius autem lucernam protendit in directionem indicatam, oculis digitum pueri indicem secutus conspexit lagoenam pluteo impositam, quae completa erat substantia fulvi coloris.

«Storax?» interrogavit.

Grenulius annuit. «Ita. Hic inest. Storax.» Tum quasi convulsione correptus duodecies minimum murmuravit: «Storaxstoraxstoraxstorax...»

Baldinius candelam homuncioni 'storacem' crocitantanti obtinens cogitavit eum esse aut obsessum aut furem fraudulentum aut ingenium gratia divina illuminatum. Nam fieri poterat, ut e substantiis indicatis recte compositis myron Amoris et Psyches oreretur, immo, verisimile erat hoc fieri. Oleum rosarum et flores caryophylli et storax - has partes tres postmeridiano tempore investigaverat animo desperato; iisdem inclusis ceterae partes compositionis - quas ipse putavit cognovisse - tamquam segmenta componi poterant ad bellam placentam rotundam. Nunc nihil restitit nisi ut quaereret, qua proportione exacta hae partes componendae essent. Ad hanc inveniendam sibi, Baldinio, per complures dies hoc et illud

experimentum fore faciendum, horribili labore, qui fere durior esset quam partium ipsa inventio, nam nunc agi de mensurando et pendendo et notando iisdemque nefanda cum attentione faciendis, nam ulla negligentia - quam minima, velut pipetta tremule tenenda aut guttis falso numerandis - posse omnia perdi. Omne autem experimentum frustra factum horribiliter pretiosum esse. Omnem mixturam frustra factam esse sumptuosissimam... se parvum hominem tentare velle, ex eo quaerere velle formulam Amoris et Psyches exactam. Sic eam sciret, exacte, ad grammum et guttam - patere eum esse fraudatorem, qui sibi aliqua fraude praeceptum Pelissieri comparasset, ut apud Baldinium acciperet aditum et munus. Si autem formulam cum grano salis divinaturus esset, eum esse ingenium ὀσφραντικώτατον, quale cognoscere cuperet ex professo.

Ne credas a Baldinio consilium captum, quo desisteret a taberna, in dubium vocatum esse! Caput rei non esse ipsum myron Pelissieri. Licet ille homo sibi compararet integras litras eiusdem, se ne somnio quidem studere, ut cutem Comitissae Verhamont Hispanicam eodem myro inodoraret, sed... Sed se non per totam vitam fuisse myropoeum, per totam vitam deditum fuisse fragrantissimis componendis, ut horae momento prorsus desisteret ab omnibus studiis disciplinae suae! Se nunc velle exquirere formulam huius myri execrabilis, immo, ingenium huius pueri monstruosi, qui fragrantiam legisset de sua fronte. Scire cupiebat, quid subesset ei. Uno verbo: erat curiosus.

«Tibi, ut videtur, nasus subtilis est, iuvenis», dixit, cum Grenulius crocitare desiisset, et, ut lucernam caute in mensa fabrilis deponeret, in officinam regressus: «procul dubio nasus subtilis, sed...»

«Optimus nasus mihi est omnium Parisinorum, magister Baldini», Grenulius stridula voce interpellavit. «Novi omnes odores mundi, omnes Parisinos, omnes, nomina quidem nonnullorum nescio, sed scio etiam nomina discere, omnes odores, quibus sunt nomina, qui non sunt multi, non sunt plures aliquot milibus, quorum nomina omnia discam, numquam obliviscar nomen illius balsami, storacem, illud balsamum dicitur storax, storax, inquam, storax...»

«Tace!» Baldinius vocavit, «noli me interrompere loquentem! Nasutus et arrogans es. Nullus homo scit nomina mille odorum. Ne ego quidem mille novi, sed aliquot centum, nam plures odores non sunt in arte nostra quam aliquot centum, ceteri non sunt odores, sed foetores!»

Grenulius, qui in erumpenda interlocutione sua proluxa corpus paene extenderat, per momentum quidem temporis animo excitato ambo brachia circummagitaverat, ut 'omnia, omnia', quae nosset,

circumscriberet, Baldinio contradicente statim recidit in statum priorem tamquam parvus bufo nigellus, in limine ianuae immotus insidians.

«Scilicet» Baldinius dicere perrexit, «me iam pridem nosse Amorem et Psychen constare e storace et oleo rosarum et floribus caryophylli et bergamotta et roris marini extracto et ceteris. Ad has res inveniendas nihilo opus est nisi naso quadamtenus sagaci et, licet Deus tibi dederit nasum quadamtenus sagacem, sicut multis, multis aliis hominibus - praesertim tuae aetatis. At myropoeus» - dicit digito indice sublato et pectore intumescente - «myropoeus pluribus eget quam naso quadamtenus sagaci. Qui eget organo olfactorio per multa decennia erudito, operante cum subtilitate incorrupta, qua aptus est et utilis ad aenigmata qualitatis quantitatisque odorum etiam intricatissimorum certe solvenda, item ad creandas mixturas fragrantiarum novas et incognitas. Talis nasus» - dixit digito pluries leviter pellens ad nasum proprium - «non innatus est, iuvenis! Talis nasus paritur magna cum perseverantia et industria. An ex improvise scis dicere formulam Amoris et Psyches exactam? Quae est? Scin?»

Grenulius non respondit.

«Viden?» Baldinius dixit tam contentus quam spe deceptus et resurrexit, «nescis. Scilicet te nescire: Tu es similis alicui cenanti, qui scit, utrum iusculo insit anthriscus an petroselinum. Bene - non nihil scis. Tamen multum abest, ut sis coquus. In omni arte cuiusvis generis - hoc prius demitte in animum tuum, quam abieris! - ingenium valet fere nihil, sed omnia peritia, quae paritur modestia atque industria.»

Cum Baldinius lucernam mensae impositam erat apprehensurus, Grenulius a ianua stridit voce pressa: «Nescio, quid sit formula, magister, hoc nescio, cetera scio omnia!»

«Formula est A et Ω omnis myri» Baldinius severe respondit, nam finem facere voluit colloquio. «Qua praecipitur ἀκριβώς», qua proportione singula ingredientia miscenda sint, ut oriatur fragrantia exoptata et unica et singularis; haec est formula. Quod est praeceptum - si hoc verbum melius intellegis.»

«Formula, formula» Grenulius ad ianuam crocitavit statura aliquanto aucta, «equidem non egeo formula. Praeceptum inest naso meo. Estne myron a me miscendum tibi, magister, estne miscendum, estne?»

(continuabitur)

¹ **Fragrantia. Historia homicidae.** Fabula romanica a Patricio (Patrick) Süskind Theodisce scripta a. 1985 sub titulo, q.e. «Das Parfum. Die Geschichte eines Mörders», Turici Helvetiorum in Aedibus, q.s. Diogenes-Verlag, edita, a Nicolao Gross in Latinum conversa.

DE PHANTASIIS NOCTURNIS OPINIONES

REFERT STELLA GITTA

«Ademptum tibi iam faxo omnem metum,
in aurem utramvis otiose ut dormias»
(TER. Haut. 341-342)

Colotes ait a philosopho fabulam non oportuisse confingi, quoniam nullum figmenti genus veri professoribus conveniret. Cur enim, inquit, si rerum caelestium notionem, si habitum nos animarum docere voluisti, non simplici et absoluta hoc insinuatione curatum est, sed quaesita persona, casusque excogitata novitas et composita advocati scena figmenti ipsam quaerendi veri ianuam mendacio polluerunt?



Sunt, qui dicunt nocturnas phantasias ex animi timiditate et melancholia hominibus apparere videri, sicut in phreneticis et laborantibus maioribus hemitritaeis, solet evenire. Alios asserunt tales imaginationes videre in somniis tam expresse, quod sibi

ipsis vigilare videntur, ut quibusdam, id confessis, contigisse Augustinus in libro *de civitate Dei* refert. Sed contra hoc movet me, ait Gervasius¹, quod mulieres agnosco vicinas nostras, quae praecesserant in diebus suis, quae mihi proponebant, se de nocte vidisse clientulas et clientulos discoopertos cum verecundia. Quae etiam referebant ea, quae de nocte gerebantur a nobis in longe remotis partibus. Nonnunquam enim visas flagellationes nocturnas in parvulis nostris aiebant, asserebantque, se dormientibus viris suis cum coetu lamiarum celeri penna mare transire, mundum percurrere; et si quis aut si qua in tali discursu Christum nominaverit, statim in quocumque loco et quantovis periculo fuerit, corrui. Vidimus equidem in regno Arelatensi mulierem ex castro Belcadri oriundam, ex consimili causa inter medias Rhodani undas cecidisse, et usque ad umbilicum humectatam, de nocte media absque vitae periculo, sed non sine timore evasisse. Scimus, quasdam in forma cattarum a furtive vigilantibus de nocte visas ac vulneratas, in castro vulnera truncationesque membrorum ostendisse.

Si quis haec non ita esse crederet, Ambrosius frustra in hymnis notasset:

*Procul recedant somnia,
Et noctium phantasmata.*

Et iterum:

*Gallo canente spes redit,
Aegris salus refunditur,
Mucro latronis conditur,
Lapsis fides revertitur.
Hoc excitato lucifer,
Solvit polum caligine,
Hinc omnis errorum chorus:
Viam nocendi deserit.*



Lamias, quas vulgo *mascas* aut in Gallica lingua *strias* nominant, physici dicunt, nocturnas esse imaginationes, quae ex grossitie humorum animas dormientium turbant, et pondus faciunt. Verum Augustinus, ipsas, ex dictis autorum, ponit daemones esse, qui ex animabus male meritis corpora aerea impleant. Dicuntur autem lamiae vel potius *laniae* a laniando, quia laniant infantes. *Larvae* vero quasi *Larium exemplaria phantastica*, quae imagines et figuras hominum repraesentant, cum non sint homines, sed divina quadam et secreta permissione hominum illusiones. Sicut enim *circa corpus, ita circa animum vel animam hominum daemones nihil nisi ex divina possunt permissione operari*. Ut autem moribus ac auribus hominum satisfaciamus, constituamus, hoc esse feminarum ac virorum quorundam infortunia, quod de nocte celerrimo volatu regiones transcurrunt, domos intrant, dormientes opprimunt, ingerunt somnia gravia, quibus planctus excitant. Sed et comedere videntur et lucernas accendere, ossa hominum dissolvere, quin nonnunquam dissoluta cum ordinis turbatione compaginare, sanguinem humanum bibere, et infantes de loco ad locum mutare.

Audivimus, Gervasius ait, a viro nobili et per omnia christianissimo, domino Humberto, Arelatensi Archiepiscopo, affini nostro, sanctae probataeque fidei Praesule et vitae perfectioris, quod cum lactens esset multaque parentum diligentia custoditus, ex christianissima matre editus, nocte una in cunis positus et fasciatus ante

lectum parentum circa mediae noctis crepundias flere auditur, subita expergefactione excitata mater ad cunas manus apponit, nec invenit infantem, quem apprehendat. Tacite rem considerans et loqui timet, et silentia diutina non sustinet. Accensa candela, dum infantem per devia quaesitat, ipsum in volutabro aquae, quae de ablutione pedum serotina effusa fuerat, reperit volutantem sine ploratu, fasciatum et ad lumen matri parumper arridentem. Quid ultra? nutrici et marito rem ad oculum monstrat, et hoc ab alio, quam a nocturnis phantasmatibus actum nemo cogitabat: nam et ubi huiusmodi phantasmatum solet esse discursus, a multis compertum habetur, infantes in mane, ianuis clausis extra domos et cunabula in plateis esse repertos. Sed et dolia vino plena in ipso cellario nostro vidimus nonnunquam, *extracta clepsydra*, vinum nullum effundere, nulloque conatu aliud praeter aerem in ipsis inveniri, verum post horam ita reperiebantur oppleta, quod nihil deerat ad perfectionem.

Si quaeris: quid sibi velint haec audita saepissime ac miranda? respondet Gervasius, quod ait beatissimus omnium quaestionum investigator *Augustinus* [...legi nequit...] *attribuendum*, qui facit angelos suos spiritus, ministros suos ut flammam ignis. Sicut enim bonos angelos aereis corporibus induit ad ministerium suum familiariter exercendum, ita et daemones corporum formis phantasticis et larvatis, quasi larium, hoc est, domorum familiaritatem in figura tenentibus, indui sustinet, ut, quod mandatis in bonis operatur ad bonum, hoc eius patientia mali operentur ad nostrae infirmitatis illusionem ac poenam.

Si quaeris, cuius naturae sint ista phantasmata? respondet Gervasius, quod *Apuleius Platonius* ait, *inter philosophos summus*. Breviter enim definiens inquit, *daemones esse genere animalia, animo passiva, mente rationabilia, corpore aerea, tempore aeterna*. Porro, ut ait *Augustinus*, quod genere sunt animalia, non est magnum, nam et hoc pecora sunt. Quod mente sunt rationabilia, non est supra nos, nam et nos id sumus. Quod ipsa tempore aeterna, quid boni est, cum non sint beata? quippe melior est temporalis felicitas quam misera aeternitas. Quod animo sunt passiva, hoc nostrae miseriae signum nobiscum commune habent. Quod corpore aerea, quanti aestimandum est, cum omni corpori praefertur anima qualiscumque naturae, et ideo *religionis cultus, qui debetur ex animo, nequaquam debetur ei rei, quae inferior est animo*.

Sane de moribus daemonum loquens idem *Platonius* dixit, *eos eisdem, quibus homines animi perturbationibus agitari, irritari iniuriis, obsequiis*

donisque placari, gaudere honoribus, diversis sacrorum ritibus oblectari, et in eo, si quid neglectum fuerit, commoveri. Inter cetera etiam dicit, ad eos pertinere divinationes augurum, aruspicum, vatium atque somniorum. Ab his quoque esse miracula magorum, mediosque in aere inter Deum et homines esse constitutos, ut vota hominum, longa distantia locorum suspensa, Deo repraesentent.

Enim vero elegantissime concludit *Augustinus*: frustra *Apuleius* et quicumque ita sentiunt, hos daemonibus detulerunt honores, sic eos medios inter caelum aethereum terramque constituentes, ut, quia *nullus deus miscetur homini, ut Platonem dixisse perhibent*, isti ad deos preces proferant, hominum, dum sacrificia recipiunt: et itidem ad homines referant impetrata, quae poscunt. Indignum enim putaverunt, qui hoc tradiderunt, miscere homines Diis et Deos hominibus: dignum autem, misceri Daemones Diis et hominibus; hinc petita quae allegant, inde concessa quae appetant. Etenim urgens et arctissima causa cogit daemones medios inter Deos et homines agere, ut ab hominibus deferant desiderata et a diis deferant impetrata. Praeclara igitur sanctitas Dei, quae non miscetur homini supplicanti, et miscetur daemones arroganti; non miscetur homini confugienti ad divinitatem, et miscetur Daemones fugienti divinitatem; non miscetur homini petenti veniam, et miscetur daemones suadenti nequitiam.



Cum de huiusmodi daemonum aut angelorum malorum corporibus quaeritur, respondet Gervasius, se cum *Augustino* dubitare, an secundum illud *Propheticum*: *qui facit angelos suos spiritus et ministros suos ut flammam ardentem, igneae sint corporeaeque naturae, an mystice hoc de bonis tantum sit intelligendum, quia spirituali igne charitatis debent fervere*. Apparuisse tamen angelos in talibus corporibus, ut non solum videri sed etiam tangi possint, eadem *scriptura verissima*, ut ait *Augustinus*, testatur, et exinde fama creberrima. Multi enim experti sunt et ab expertis audierunt, quibus certissime est fides adhibenda, se vidisse *Sylvanos* et *Panes*, quos incubos nominant, *Galli vero diuos* dicunt. Non audet Gervasius aliquid hic definire, utrum aliqui spiritus elemento aereo corporati, possint hanc agere vel pati libidinem, ut quoquo modo feminis se immisceant aut ab hominibus talia patiantur. Nam hoc etiam elementum, cum agitur flabellum, sensu corporis tactuque sentitur. Hoc

equidem a viris omni exceptione maioribus quotidie scimus probatum, quod quosdam huiusmodi larvarum, quas Fadas vulgo *Fées* nominant, amatores audivimus, et cum ad aliarum feminarum matrimonia se transtulerunt, ante mortuos quam cum super inductis carnali se copula immiscuerunt; plurimosque in summa temporali felicitate vidimus stetisse: qui cum ab huiusmodi fandarum se abstraxerunt amplexibus, aut illas publicaverunt eloquio, non tantum temporales successus sed etiam miserae vitae solatium amiserunt. Quid sibi haec velint, nescit Gervasius et quaerentibus, id solum respondit: *Iudicia Dei abyssus multa*. Unum tamen scit, quod angeli Dei nullo tempore sic labi potuerunt, dicente Apostolo Petro: *Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit, sed carceribus caliginis mersos retrudens tradidit in iudicio puniendos reservari*. Verum hi, qui cum diabolo minus superbierunt, ad huiusmodi illusiones reservati sunt, ad hominum poenam.

Et quia de spinis uvas colligere bonum esset, et de tribulis ficus dulce licet inusitatum, audiat lector urbanum contra nocturnas pollutiones et imaginationes, timores ac lamias antidotum a Gervasio propositum: cum cubas, fac orationem cum versiculo S. Iohannis Baptistae, et orationem sancti Iohannis evangelistae, cum versiculo; et orationem S. Antonii cum versiculo ad ultima verba dicas: et, ut a viris religiosissimis audivi, verissimo experimento compertum, nulla haec observantem imaginatio polluet, nulla pollutio maculabit, nullus hostis versuti timor concutiet.

Sunt autem hi versiculi: *Fuit homo missus a Deo*.

Oratio: *Perpetuis nos, Domine, beati Iohannis Baptistae tuere praesidiis, et quanto fragiliores sumus, tanto magis necessariis attolle subsidiis*. Item versiculus in honorem S. Iohannis evangelistae: *Valde honorandus beatus Iohannes et c.*

Oratio: *Ecclesiam tuam, quaesumus Domine Deus benigne illustra, ut beati Iohannis evangelistae illuminata doctrinis, ad dona perveniat sempiterna et ab omnibus muniatur adversis*. Item versiculus de B. Antonio cum antiphona: *Vox sonat Antonii, quia fortis ad arma fuisti. Extollam toto nomen in orbe tuum. Ora pro nobis beate Antoni et c.*



Oratio: *Deus, qui beato Antonio confessori tuo, per viam virtutum incedenti, lumen tuae visitationis ostendisti, concede propitius, ut ipsum pro nobis intercessorem sentiamus in caelis, cuius vitae irradiamur exemplo in terris*.

Si causam quaeris, quare sanctorum istorum memoria tanti circa talia sit meriti? respondit Gervasius, contraria contrariis curari, et ita virginitas pollutionis nescia, pollutionem fugit et fugat. In Antonio quis dubitat tantam fuisse sanctae perfectionis constantiam, quod adeo speciale donum meruit super daemonibus agnoscendis et expellendis, ut ait beatissimus Athanasius in vita B. Antonii. Adhuc a viro sancto accepi, optimum esse post ista remedium atque solatium hymnum, qui apud Anglos in quadragesimali tempore cantatur ad completorium: *cultor Dei memento et c.*

ADNOTATIO

¹ Gervasius Tilleberensis fuit Mareschalcus Regni Arelatensis saeculo XII.

Imaginum fons: Le livre des superstitions, E. Mozzani, Laffont: Paris, 1995.

ADNOTATIO

Si argumentum vestra interest, quod pertinet ad res extraordinarias et lamias et saganas, sciatis in promptu esse nonnullos textus Latinos iterum editos, inter quos:

- Christian Thomasius, Vom Laster der Zauberei. Über die Hexenprozesse. De Crimine Magiae. Processus Inquisitorii contra Sagas, Deutscher Taschenbuch Verlag n° 1280, 232 pp.
- Ulric Molitor, Des Sorcières et des Devineresses. Le premier procès de la sorcellerie. Reproduit en fac-simile d'après l'édition latine de Cologne 1489, Paris, Tiquetonne Editions, 148 pp.

DE MUNERIBUS SERVORUM (VII)

SCRIPSIT VALTHERUS FUCHS

Patroni mancipiorum maximam partem ipsi non erant figuli. Verisimile est tales patronos figlinas suas gerendas libentius libertis commisisse quam servis. Forsitan hac de causa numerosos manumittebant servos. Quod attinet ad numerum proportionalem Graecorum et Latinorum: nomina figulorum (i.e. servorum) non semper spectant ad originem, sed potius ad statum sociale. Vasa terrae sigillatae ornatae pluris aestimabantur vasis inexornatis. Qua de causa emptores servorum, si opifices peritos acquirere volebant, Graecos emebant sive opifices a Graecis eruditos. Boni ergo figuli partim profecto e Graecia ipsa aut e regionibus Graecissantibus erant oriundi.


Insuper non solum ingenui, liberti, servi laborabant in figlinis, sed etiam feminae, infantes. Nomina infantium suffixo *-io* desierunt: e.g. Felicio, Faustio. Nomina Graeca servorum gradum quendam eruditionis indicabant; quo minor ergo auctoritas professionalis, eo minor status socialis illa aetate. Infantes opificum a patre docebantur; patroni infantes vernarum aut infantes servorum emptos in quadam professione excolendos curabant, ut pro patrono laborarent aut bene venire possent.

Operarii peregrini, «barbari» (Germani, Galli, Hispani, Britanni), cultu civili deficiente generatim non habebantur qualificati, itemque operarii sive mercennarii vernaculi habiles non aestimabantur. Nihilominus nomina Graeca a Romanis aliis quoque de causis servis sunt indita, e.g. nonnumquam servo nano, debili, deformi nomen dederunt Ulixis aut Achillis aut Herculis; tali modo Romani, qui non ignorabant se Graecis subactis cultu civili ac humanitate esse inferiores, nationem totam Graecam iterum suppressere volebant sive ulcisci. Agebatur ergo, ut ita dicam, de quodam complexu inferioritatis Romanorum.

Alia nomina pertinebant ad nativitatem: Desideratus, Optatus, Speratus, Gemellus, aut ad notas corporales: Calvus, Mancus, Strigo.

Mirum in modum tota Italia collegia figulorum illorum temporum nobis non sunt nota; forsitan non exstabant vici particulares figulorum in oppidis, forsitan existentiae minimum eorum erat modestissimum vixque iis suppeditabat (cfr G. Prachner, «Sklassen und Freigelassene im arretinischen Sigillatagewerbe», Wiesbaden 1980, pp. 196).

PONDUS ERUDITIONIS



Hoc hoc sepulcrum respice,
qui carmen et musas amas,
et nostra communi lege
lacrimanda titulo nomina.
nam nobis pueris simul
ars varia, par aetas erat:
ego consonanti fistula
Sidonius acris perstrepsens...
hoc carmen, haec ara, hic cini<s>
pueri sepulcrum est Xant<h>ia<e>
qui morte acerba raptus es<t>
iam doctus in compendia
tot literarum et nominum
notare currenti stilo,
quod lingua currens diceret.
iam nemo superaret legen<s>
iam voce erili coeperat
ad omne dictatum volans
aurem vocari a<d> proximam
heu morte propera concidit,
arcana qui solus sui
sciturus domini fuit.

*De hoc pulchro lapide sepulchrali
agetur in proximo fasciculo.*

LATĪNE LOQUI ...

☞ *Seminaria Latina*

In seminariis Societatis Latinae participes inducuntur, ut Latine loquantur. Moderatores sunt Dr Caelestis Eichenseer, qui iam ab anno 1973 talia seminaria suscepit moderanda, et D.rix Sigrides Albert, quae tirones delectabiliter in consuetudinem Latine loquendi inducit.

In Belgica

7-14 m. Augusti a. 1999 Brugis in urbe pulcherrima, veterrima, historica, quae vocatur «Venetiae septentrionales». Nobis praebebitur locus media in vetere urbe situs, sed tamen remotus a turba periegetarum, iuxta tranquillum euripum (vide imaginem).

Scribatis ad: Gaium Licoppe, Avenue de Tervueren, 76, B-1040 Bruxelles

In Helvetia

25-31 m. Iulii a. 1999 Morsaci supra lacum «Quattuor regionum».

Scribatis ad: Societatem Latinam, Universität - FR 6.3, D-66041 Saarbrücken (s.albert@rz.uni-sb.de)



☞ *Duo Conventicula Latina in America*

Eo in primis proposito congregabuntur participes ut peritiam aliquam ex tempore et volubilter Latine sermocinandi permultaque Latine exprimendi adipiscantur.

23-31 m. Mai (iam feliciter peractum) **et 23-31 m. Iulii a. 1999** Lexingtoniae in civitate Kentuckia.

Scribatis ad: Terentium Tunberg, Department Class. Languages, 1015 Patterson Office Tower, University of Kentucky, Lexington KY - USA (clatot@pop.uky.edu)

☞ *Seminarium L.V.P.Ae*

12-18 m. Iulii a. 1999 in Polonia non longe ab Opolia; thema erit de Silesia Latina.

Scribatis ad: Mariam Alexa, Burgstrasse 3, D-59368 Werne.

☞ *Latine loqui - Romane coquere*

1-7 m. Augusti a. 1999 Amoeneburgi in Germania.

Scribatis ad: Thomam Gölzhäuser, Kleeberger Strasse 40, D-35510 Butzbach.

☞ *Feriae Latinae*

17 - 24 m. Augusti a. 1999 in abbatia Sancti Michaelis Ferigoletensis, iuxta Tarasconem.

Scribatis ad: Clementem Desessard, Résidence des Collines C9, 500 rue Léo Brun, F-06210 Mandelieu - vel ad: Iohannem Claudium Champeau, 121 chemin des Moulins sup., F-06510 Gattières.

18 - 24 m. Iulii a. 1999 Tiniis in Carinthia

Scribatis ad: Bildungshaus Sodalitas, A-9121 Tainach/Tinje

☞ *Conventiculum Latinum de orbe Novo*

26 m. Iunii - 2 m. Iulii a. 1999 in pago Californiano «Oceanside».

Scribatis ad: Annulam Llewellyn Menn, UCLA Classics Department, Los Angeles CA 90095-1417 (nel@latin.org)

☞ *Symposium Latinum*

de «Lingua Latina - lingua interdisciplinari», **30 m. Augusti - 2 m. Septembris a. 1999** Arimini in Italia. Scribatis ad: Veram Barandovská-Frank, Kleinenberger Weg 16, D-33100 Paderborn.